

id ipsum, de quo testis est *Cyprianus*, imperium à *Christo* traditum *Apostolis* ad horum successores dimanasse. Nempe ut in *Carthaginensi* concilio III. de baptismo legitur: *Apostolis nos successimus eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes.*

SCHOL. I. Si quis potestatem initio in nuda sitam directione, sensim auctam, et jam ævo S. *Cypriani* in aliquam imperii speciem abiisse dicat, is profecto parum aut nihil dixerit, inquit *Zallwein*, tom. 4. princ. jur. eccles. pag. 95. Siquidem imperceptibile est, quod amplissima illa potestas *Apostolis* concessa, et sine ulla contradictione ab illis liberrime in usum deducta consultis sanioribus philosophiæ et jurisprudentiæ regulis, maxime si ea omnia, quæ *Apostoli* ordinarunt et disposuerunt, in unum veluti cumulum conjiciantur, fuerit mera potestas directiva omni imperio destituta; ubi nam terrarum illa societas, in qua est tanta potestas directorum, ut ipsis solis, non consultis sociis jus æquale habentibus; omnia et singula ordinare, disponere, statuta condere, negotia publica privative administrare, et magistratus constituere liceat? In omnibus collegiis et societatibus æqualibus ex communi praxi, consuetudine, et observantia frequentiores habentur conventus, et in his communi suffragio tractantur negotia, deciduntur causæ, conduntur statuta, dispensantur officia, distribuuntur ministeria, et bono societatis ac sociorum omni meliori modo providetur, quin Directoribus præter jus relationis cum prærogativa voti informativi aliud jus competat, ut adeo ad ipsos nihil aliud pertinere videatur, quam ut ad conventus referant, proponenda proponant, negotia dirigant, decreta executioni simpliciter mandent. Anne tale quid factum legimus à *Christo* et *Apostolis*? Non nisi semel, aut ad summum bis celebrarunt concilium, et ad id vel totum cætum, vel seniores convocarunt, cetera omnia excluso cætum privative disponunt. (§. XXXVII. in sch.)

SCHOL. II. Amplius itaque aliquid, quam jus nudæ directionis in *Apostolos* collatum fuisse negari vix potest. Neque enim verum est, omne penitus imperium in sacris improbasse *Christum* *Luc. XXII. 25. 26.* dum ait: *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrator.* Quod non diffitetur præter alios è *Protestantium* communione *Phil. Jac. Hartmannus de rebus gest. christ. sub Apostolis cap. 3.* Si *Christus* omnem imperantium ordinem in sua republica, id est, *Ecclesia* sublatum voluisset, ait, *Apostoli* hoc itidem placito stringerentur: sed cum gentilium solum mores in imperando damnavit, ordo imperantium æque ab *Apostolis* quam ab aliis fidelium geri potuit, modo non gentilem in modum civilem cum rigore gereretur, uti contextus ipse hanc mentem esse *Servatoris* legenti suggeret. (§. LXXVI.) Quapropter nihil nobis hic locus obest, etsi demus id, quod scribit *Canzius in discipl. moral. §. 2413.* *Ecclesiam* non contineri imperio stricte dicto, clarissimis verbis *Christus* significat *Luc. XXII. 25. 26.* ubi manifeste *Apostolorum* officium imperio civili opponitur. *Conf. Natalis Alexander sæc. I. dissert. 4.*

Unde omnis *Christianorum* cætus duplici potestate regitur.

Potest itaque societas *Christiana* non inepte respubli- ca ecclesiastica appellari (1), nec erat, cur ob eam rem tam acri multorum censura dignus putetur *Marcus de Dominis.* Neque repugnabo pertinacius, si quis sacram hanc rempublicam à civili sejungere, (§. LXXVI.) at-

(1) *Zallwein loc. cit. pag. 86.*

que ita duas constituere velit, alteram alteri in rebus sui juris minime subjectas, ut fieri video à plerisque disciplinæ istius magistris. Malim tamen ego ob eum, qui quoties civilis quædam societas ad *Christum* accedit, inter utramque intercedit mutuæ caritatis nexum arctissimamque fidei communionem, unam dicere rempublicam Christianorum, cui duo præsent Rectores suprema præditi potestate: quorum alter quietem publicam, alter felicitatem æternam humano generi procuret *Apostolo* testante (1). In hunc sensum inquit *concilium Parisinum sub Ludovico Pio* celebratum (2): *Principaliter itaque totius sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet et regalem, sicut à sanctis Patribus traditum accepimus, divisum esse novimus.* Et *concilium ad Theodonis-villam* ejusdem ætatis cap. 2.: *Quia bene nostis ab illo, qui solus merito et Rex et Sacerdos fieri potuit, ita Ecclesiam dispositam esse, ut pontificali auctoritate et regali potestate gubernetur.* Similiter *Isidorus Pelusiota* (3) jam dudum ante ex sacerdotio et regno aiebat rerum administrationem constatam esse. *Quamvis enim permagna utriusque differentia sit (illud enim velut anima est, hoc veluti corpus) ad unum tamen et eundem finem tendunt, hoc est, ad hominum salutem.* De *Marca de conc. sac. et imp. lib. 2. cap. 2.* Hanc eruditissimi Præsulis sententiam non videtur penitus adsequutus *Hen. Bohmerus obs. 1. ad cit. loc.*

SCHOL. Ita ego Patrum ingenuam simplicitatem potius quam ætatis nostræ subtile acumen sequutus vitare mihi posse videbar perplexas illas et ambiguas plerumque disceptationes, quæ de duarum inter se rerum publicarum habitu agitari solent; ultra scilicet earum sit *Pn* altera? quæ prior? quæ posterior? an altera alteri

(1) *I. Tim. cap. II. ad Ephes. cap. IV.*

(2) *Lib. 1. cap. 3. tom. 4. conc. Hard. pag. 1297.*

(3) *Lib. 3. epist. 249.*

subordinata? an sibi coordinatæ? Quæ quidem omnes sacram Ecclesiæ politiam nihil illustrent, obscurant autem et implicent permultum, occasionemque præbent hominibus ingenio validis comminiscendi multa, quæ difficilem quandoque ingenuis etiam viris veritatis explicationem efficiunt. Ingeniose hoc in argumento ludit Auctor *Anti-Febronii vindicati part. 1. diss. 2. §. 13.* ubi inter alia vultu prorsus ad docendum composito, *Ecclesiam, si rem adcurate perpendimus, statu antiquiorem esse lectorem suum jubet credere. Immo quæ post beatissimum Christi adventum constituta est Ecclesia, quum eadem sit, quæ præteritorum temporum Ecclesia, (§. IV.) ubi imperium aliquod regnumve ingreditur falsis religionibus deditum, non nisi jus suum recuperat, quod idolorum cultus ac superstitio illi eripuerat. Nam quum homines vera religione deserta Ecclesiam; in cujus gremio societatem inierant, per summum nefas ejecerint, Ecclesia in regiones superstitioso cultu contaminatas invecata non tam illas adire dicenda est, quam eo redire, unde malitia hominum facta fuit extorris.* Scire ego pervelim, an eruditus vir hoc quoque à sanctis Patribus traditum acceperit?

§. LXXIX.

*Quarum utraque summa est et independens.*

Supremam utriusque Rectoris potestatem deliberate dixi justaque de causa: utraque enim Deo immediate, neutra alteri subjecta est in his, quæ sunt sui juris. Ita enim *Gelasius P.* in epistola ad *Anastasium Imp.* apertissime docuit (1): *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas.* Utraque principalis, suprema utraque, neque in officio suo alteri

(1) *Tom. 1. concil. Hard. pag. 893.*

obnoxia est (1): quod ipsum etiam in libro de anathematis vinculo adfirmat luculentissime. (§. LXXIV.) Gelasio adsentitur prorsus Symmachus in apologetico adversus Anastasium (2): Conferamus, inquit, honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu Imperator à Pontifice baptismum accipis, Sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, pœnitentiam rogas, postremo tu humana administras, ille tibi divina dispensat: itaque, ut non dicam superior, certe æqualis honor est. Eadem disertissime tradit Gregorius II. in epistola ad Leonem Isaurum (3): Non sunt Imperatorum dogmata, sed Pontificum, quoniam Christi sensum nos habemus. Alia est ecclesiasticarum ordinationum institutio, alia intelligentia sæcularium. In administrationibus sæculi quem habes sensum, in spiritualibus dogmatum administrationibus habere non potes. Et ecce tibi scribo discrimina palatii et ecclesiarum, Regum et Pontificum. Agnoste illa et salvare, nec contentiosus esto :::: Nam quemadmodum Pontifex introspectendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi; sic neque Imperator in Ecclesias introspectendi, et electiones in clero peragendi, neque consecrandi, vel symbola Sacramentorum administrandi, sed neque participandi absque sacerdotis opera. Sed unusquisque nostrum, in qua vocatione vocatus est à Deo, in ea maneat. Nihil dici, nihil scribi explicatius potuit, ut intelligeretur, duas istas potestates ita muneribus, atque officiis à Christo disjunctas esse, ut ne temporalis potestas in temporalibus ecclesiasticæ, nec ecclesiastica in ecclesiasticis temporali ullo modo subjecta sit.

SCHOL. Neque ex eo, quod Reges pro æterna vi-

(1) Espen in comment. ad Gratian. ad dist. 96. can. 10.

(2) Tom. 5. conc. Labb. pag. 426.

(3) Tom. 4. concil. Hard. pag. 15. (1)

ta Pontificibus indigent, ut ait Nicolaus P., et Pontifices pro cursu temporalium rerum imperialibus legibus utuntur, recte quis colligat, potestates ipsas sibi mutuo in ordine rerum vel spiritualium vel temporalium subditas esse, ut scite advertit Du-Pin de antiqua Eccles. discipl. diss. 7. in præloq. Magnum enim discrimen est, inquit, inter ipsam potestatem et eum qui potestate utitur, ita ut fieri possit, ut is, qui potestate utitur, sit subjectus alteri potestati, quamvis potestas illa, quam exercet, nulli potestati subjecta sit, cet. Quapropter inscienter Auctor Anti-Febronii vindicati part. 1. pag. 243. ex hoc quod Principes in rebus sacris formam Ecclesiæ sequi debeant, ut Pelusiotæ dicebat, et Gelasius in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis judicare scripserit, argumentum ducebat, ut ostenderet, civilem potestatem ecclesiasticæ in his, quæ spiritualia sunt, obnoxiam esse, ac proinde statum esse in Ecclesia: inscienter, inquam, hæc scripta sunt, perinde ac si ego, quod Nicolaus P. doceat Pontifices pro cursu temporalium rerum imperialibus legibus uti, et Chrysostomus omnes et Sacerdotes et Monachos sublimioribus potestatibus subditos esse traderit, hinc colligam, potestatem ecclesiasticam in temporalibus obnoxiam esse civili, atque adeo Ecclesiam esse in statu, non statum in Ecclesia. Non itaque falsæ sunt præconceptæ opiniones politicorum, ut vir hic politus scribit, sed falsa est et ridicula Anti-Febronii opinatio, quæ traditioni adeo non consentit, ut nulli rei magis adversetur.

§. LXXX.

Quod nihil repugnat.

Ergo duæ erunt, ais, eadem in republica summæ potestates? Ego vero ajo, inquam. Nam geminam eam-

que independentem in eodem genere potestatem ponere, habet aliquid repugnantiae; duas tametsi summas in diverso genere, quid quæso habet adversum rectæ rationi? *Wolffius*, quem post *Leibnitium* in hac parte philosophiæ principem omnes, qui sapiunt, reputant; *Wolffius*, inquam, ipse hoc ingenue adserit: *Qui absurdum putant ait (1), jus circa sacra separatim ab imperio civili esse, quasi respublica in republica fingatur, judicium omnino præcipitant, nec absurditatem demonstrare valent. Sane in republica Hebræorum jus circa sacra erat penes Pontificem maximum, imperium civile penes Regem, et uterque jus suum habebat pleno jure ac independentem ab alio. Ecquis vero dixerit, hoc institutum fuisse absurdum, etiamsi seponas, quod fuerit divinum. Conf. Zalwein tom. 3. quæst. 2. cap. 5. §. 10. cujus tamen omnia nolim mea facere.*

SCHOL. Sed ita status tamen in statum inducetur, quod imperio civili majestatique summorum imperantium vehementer adversum est. Ego vero adversi video prorsus nihil. Scio, qui isthoc catholicis objiciunt, quid sibi velint. Statum scilicet ecclesiasticum, in quo sacrorum Antistites præter religionem animarumque salutem rerum temporalium et negotiorum partem maximam suæ jurisdictioni subjiciunt; personas, res, bona ecclesiastica omnia imperio civili penitus subducunt; se suosque divino jure exemptos contendunt; jurium bonorumque civilium communione se excludi non ferunt, respuunt autem onerum tributorumque omne genus; postremo Reges etiam summos ac regna suæ potestati directe vel indirecte abnoxia esse volunt; Reges deponunt; regna dividunt: hunc inquam statum cum civili statu componi nullo modo posse contendunt, quod quidem faciunt æquo Jove, consentientibus è communione catholicorum doctissimis tam Theologis quam Jureconsultis. Sed hic status nec à Christo est institu-

(1) *Part. 8. jur. nat. §. 955.*

tus, nec à SS. Patribus traditus: neque talem umquam Ecclesia sibi Catholica vindicavit. Hunc temporum barbaries et ignavia peperit, aluit ignorantia, et scholasticorum otiosa sedulitas ornavit, renitentibus nullo non tempore doctissimis juxta ac sanctissimis hominibus. Status sacri, qualem Servator esse voluit, lex hæc est fundamentalis: *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, et quæ sunt Dei, Deo.* Secundum quam relicta summis Principibus integra rerum profanarum cura et administratione, religionis tantum et salutis internæ negotia ad suum principatum revocat; imperium Regibus à Deo commissum ipsi etiam religionis Antistites tamquam subditi colunt, leges eorum venerantur, tributum pensitant, ceteraque faciunt omnia boni civis officia, à quibus nullam clementia Principis immunitatem est imperita. Talis autem quum sit Ecclesiæ christianæ status, quum *non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges magistratum, non tollat legitimam obedientiam, non impediatur judicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non præscribat leges magistratibus de forma reipublicæ, sicut dicit Christus: Regnum meum non est de hoc mundo. Item: Quis constituit me judicem, aut divisorem super vos? Et Paulus ait Phil. III. Nostra politia in cœlis est. II. Corinth. X. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destruendas cogitationes, cet., ad hunc modum quum Ecclesia nostra utriusque potestatis officia discernit, utramque honore adfcit, utramque Dei donum et beneficium esse agnoscit (1); possuntne eum Protestantes repudiare, nisi majorum una suorum confessionem de potestate ecclesiastica Augustæ Vindelicorum editam repudiare velint, aut opiniones hominum vitiaque per summam injuriam Ecclesiæ ipsi catholicæ imputare?*

(1) Verba sunt mutuata è *confess. Augustana ann. 1530.*